

sedis Romane atque pro nostro honore et utilitatibus, quociens necessarium esset, pro viribus decertare, et ad memoriam tuam sacramentum illud reducere, quod consecrationis tue tempore supra corpus beati Petri promisisti; tu vero beneficiorum tuorum immemor<sup>1)</sup> ad despectionem nostram et iniuriam contra Deum<sup>2)</sup> sacrosque canones epistolam nostram, quam tibi pro reddendo presbitero Raginberto, nomine Teuderardi episcopi<sup>3)</sup>, cuius manibus<sup>4)</sup> consecratus erat, direximus, reputasti pro nichilo et missos, qui cum ipsa epistola ad te pervenerunt sine recepto presbitero, ad proprium episcopum cum magna remisisti iniuria. Unde noster satis commotus est animus, eo quod talia agere presumpsisti, qualia episcoporum nullus umquam commisit. Inde si ita est tuam reprehensibilem iudicamus personam. Imperatores quippe et ceterae, quae sub celo sunt potestates, epistolas nostras cum omni, ut decet, honore et benignitate recipiunt; et tu, cur tua stulta audacia vel superbia hoc facere ausus es, valde miramur. Unde hanc tibi nostram excommunicatoriam epistolam<sup>5)</sup> misimus, ut cum ipso, quem apud te habes presbitero et episcopo illo, de cuius consecratione existit, ad sedem apostolicam statim venire non differas'.

#### 4. Lothario<sup>6)</sup> augusto.

a. Ueber den Brauch der Päpste, bei den Fürsten für die in Ungnade Gefallenen zu interveniren. — 'Predecessores nostri pontifices, licet eorum meritis minime coaequemur, ubicumque pro his hominibus, quos apud suos principes aliquid deliquisse noverant, missos vel epistolas destinarunt; illi<sup>7)</sup>, sicut priscis auctoritatibus continetur, universo animi rancore deterso, iussiones, immo petitiones, Romane sedis pontificum humiliter adimplere procurarunt, et pro beati Petri apostoli et eorum pontificali ministerio honores proprios, locum simul et gratiam, reddiderunt'.

b. Item. Auch er bete und bitte für die Gefallenen und Gefangenen. — 'Ideo, quamvis immeriti, pastorum omnium fungimur vice, ut pro lapsis et in vinculis constitutis omnipotentem Dominum ac deinde humanas potestates, quibus<sup>8)</sup> causa gubernandi et regendi commissi sunt, precibus et exhortationibus deprecemur'.

#### 5. Fredulfo<sup>9)</sup>.

a. Der Papst wundert sich, dass der Bischof Fredulf von

---

1) 'immemor' fehlt Hs. 2) 'contdeum' Hs. 3) 'Teuderardo episcopo' Hs. 4) 'manibus' fehlt Hs. 5) 'epistola' Hs. 6) 'Lathario' Hs. 7) 'illis' Hs. 8) 'qui' Hs. 9) Unter Fredulfus ist jedenfalls der sonst Fredulus genannte Bischof von Narbonne zu verstehen. Wenn ihm Gams die Jahre 856—872 giebt, so ist doch zu bemerken, dass der Vor-